

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Commentatio Theologica Ad Qvæstionem LXXX.
Catechismi Palatini**

Gebhardi, Brandanus Heinrich

Gryphiswaldiæ, [MDCCXX?]

VD18 10460977

Pars I. Doctrina Reformatorum de Sacra Coena.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17180

den haben durch das einzige Opfer Jesu Christi / so Er selbst einmahl am Creutz vollbracht hat: Und daß wir durch den heiligen Geist Christo werden eingeleibet / der jezund mit seinen wahren Leib im Himmel zur Rechten des Vaters ist / und daselbst wil angebetet werden. Die Mess aber lehret / daß die Lebendigen und die Todten nicht durch das Leiden Christi Vergebung der Sünden haben / es sey denn / daß Christus noch täglich für sie von den Mess-Priestern geopfert werde: Und daß Christus leiblich unter der Gestalt des Brodts und Weins sey / und verhalben darin soll angebetet werden. Und ist also die Mess im Grund nichts anders / dann eine Verläugnung des einzigen Opfers und Leidens Jesu Christi / und eine vermaledeiete Abgötterey. Quid hac quæstione continetur, facile apparet. Differentiam nempe Sacræ Cœnæ & Missæ Pontificiæ ostensuri Reformati, duo tradunt: (1) Doctrinam suam de Sacra Cœna. (2) Sententiam suam de Missa Pontificia.

PARS I.

Doctrina Reformatorum de Sacra Cœna.

§. I.

IN priori hac parte primo loco notam9 nomen SACRÆ COENÆ. Sacrum hoc epulum, quo DEI Filius, dulcissimus Salvator, sanguine suo parta beneficia nobis applicare cupit, varias alias sustinet appellationes, quas peculiari *Onomastico.eucharistico* collegit THEOPH. RAYNAUDUS *Jes. To. VI. Opp. f. 191.* Catechism9 Palatin9 merito COENÆ nomē, à tempore institutionis ab ipso Paulo *1. Cor.*

XI. 20.



XI. 20. huic convivio inditum, retinuit. Inepta hæc appellatio olim visa est JOH. MALDONATO *Jes. in Comm. ad Matth. XXVI. 26.* nuganti: *Sine Scriptura auctoritate, sine veterum auctorum exemplo, sine ratione, nullo judicio, heretici cœnam vocant, cum potius merenda, si post prandium, prandium, si ad meridiem, jentaculum, si mane sumitur, vocari deberet.* Consentiant cum eo *Jesuitæ Dillingenses* aliique, per *θεῖον κρητὸν 1. Cor. XI. 20.* non sacram Cœnam Dominicam, sed vulgare epulum agapicum intelligentes. Vid. IS. CASAUBONUS in *Exerc. 16. adversus Baronium*, p. 450. 455. DORSCHÆUS de *Sacra Cœna contra Zwingerum*, *disf. 1. §. 22.* GERHARDUS *To. V. LL. c. 1. §. 3.* Vident fortassis Pontificii, ipsam Cœnæ appellationem indicare, usum sacri hujus epuli non consistere in asservatione, circumgestatione & adoratione, sed manducatione & bibitione: hinc, non amplius tolerandam esse, censent. Non minus QVACKERI & FANATICI nostræ ætatis, ridiculam hanc appellationem hodie esse, criminantur, eo quod non vespertino, sed vel matutino, vel meridiano tempore celebretur. Vid. SCHELWIGII *Quackerismus confut. art. 24. antith. orthod. 3.* ITTIGII *δοκιμασία hypothef. nonneminis de S. C. in Enneade dissp. p. 363.* WERNSDORFFII *Disp. de Recentioribus circa Cœnam Domini controvers.* Non tamen puto, Papicolas Palatinos cum MALDONATO & *Dillingensibus* suis, cum *Quackeris & Fanaticis* hanc *Sacra Cœna* denominationem in *Catechismo Heidelbergensi* ægre laturos, cum ipse *Catechismus Romanus P. 2. de Sacram. Cap. 4. qv. 5.* haud obscure eam probat, diserte inquam: *Vetustissimi Patres, Apostolorum 1. Cor. XI. auctoritatem secuti, Cœnæ etiam nomine sacram eucharistiam interdum vocarunt.* Non ergo opus esse videtur, hisce diutius immorari.

B

§. II. Jam



§. H.

Jam porro sententiam suam de re ipsa exposituri auctores Catechismi, de *Fine & efficacia Sacrae Cœnae* disserunt, dicentes: Das Abendmahl - angebetet werden. Nos singula ad normam sacrae Scripturae examinabimus. Et (1) quidem, cum dignis Sacrae Cœnae convivis plenariam remissionem omnium peccatorum concedunt, utique laudem merentur. Eadem (2) digni sunt, quando addunt: *hanc remissionem obtineri per unicum sacrificium JESU CHRISTI, ab ipso semel in ara crucis oblatum, tanquam causam meritoriam.* Hic enim Scripturam ducem sequuntur, quæ locis in Catechismo citatis, *Hebr. VII. 26. 27. IX. 12. 26. 27. 28. X. 10. 12. 14. Matth. XXVI. 28. Luc. XXII. 19. 20.* utrumque affirmat. Quibus addimus *Rom. VIII. 1. Ezech. XXXIII. 16.* Hæc vero talia sunt, quæ Pontificiis Palatinis sine dubio displicent, utpote Anti-Christianæ ecclesiæ è diametro contraria. Hujus enim dogmata sunt: (1) Sacram-eucharistiam nequaquam institutam esse in remissionem peccatorum; sed tantum ad vitam spiritualem augendam & conservandam: vel saltem non esse institutam in remissionem omnium peccatorum; esse saltem antidotum, quo liberemur à peccatis venialibus, non à mortalibus, à quibus saltem præservemur per sacrosanctum hoc epulum. Vid. CHEMNITIUS in *Exam. Conc. Trid. P. 2. Loc. 4. f. m. 365. ed. Francof. ad Moen. 1707.* SCHERZERUS in *Anti-Bellarmino, pag. 547.* (2) Credentibus non obtingere in hac vita plenariam remissionem omnium peccatorum; sed (a) potius illis perpetuo de ea dubitandum esse. Vid. CHEMNIT. *l. c. f. 219. 234.* SCHERZERUS *l. c. pag. 748.* BECANUS *Jes. in Manuali controvers. Lib. 1. c. 16. pag. 435.* (b) remissis peccatis non remittantur



remitti simul omnes pœnas, tanquam fructus peccatorum; sed DEUM, remisso licet peccato mortali & reatu pœnæ æternæ, velle tamen hominem, cui remissio facta est, punire aliquâ pœna temporali, non solum, ut cautior fiat in posterum, sed etiam in vindictam peccati præteriti, ut justitiæ aliquo modo satisfiat, ut loquitur BECANUS *l. c. Lib. 1. c. 8. pag. 209. 210.* (2) imo plenariam peccatorum remissionem demum obtingere in purgatorio, ubi purgatio fiat à peccatis venialibus. Vid. BECANUS *l. c. pag. 217. 218.* CHEMNITIUS *l. c. f. 779.* (3) Remissionis peccatorum causam meritoriam non esse unicum sacrificium CHRISTI cruentum, semel in ara crucis oblatum; sed eam obtineri etiam (α) per merita Sanctorum, in indulgentiarum nundinis vendita, quibus expientur vel ipsa peccata, seu culpa, quod voluerunt antiquiores, vel saltem pœnæ, quæ tamen in vindictam peccati præteriti immittuntur, ut antea ex BECANO audivimus, juxta recentiores. Vid. CHEMNITIUS *l. c. P. 4. Loc. 3. & B. JO. FRID. MAYERI nostri Disp. de Indulgentiis Papal. qv. 5.* (β) per proprias satisfactiones, e. gr. jejunia, orationes, elemosynas. CHEMNITIUS *l. c. f. 551. 552. 559.* Hæc βδελύγματα cum Romanenses ceu fundamentalia ecclesiæ suæ dogmata propugnant, mirandum certe non est, quod Palatini tanto furore Reformatorum Catechismum persequantur. Qui tamen in hæctenus adductis capitibus cum Scriptura ex assè consentit, præter dicta superius allata, diserte affirmante, *non esse in alio quoquam salutem. nec aliud sub cælo nomen datum, in quo salus expectanda sit, præter nomen JESU, Act. IV. 12. Illius vero sanguine nos mundari ab omnibus peccatis, 1. Joh. I. 7. imo pœnas quoque tulisse CHRISTUM, ut nos pacem haberemus, Jes. LIII.*



4. 5. & ita quidem abstulisse & peccata & pœnas, ut quilibet vere credens citra ullam dubitationem de peccatorum remissione possit esse certissimus, 1. Joh. III. 14. V. 13. Illam quoque in hac vita jam obtingere, ut quilibet, in CHRISTO obdormiens, ad exemplum latronis statim clausis oculis cum CHRISTO in Paradiso esse possit, Luc. XXIII. 43.

§. III.

Porro dicunt Reformati in Catechismo: *dignos Sacra Coena convivas per Spiritum S. CHRISTO inferi.* Idque probant dictis, 1. Corinth. VI. 17. XII. 13. X. 16. Verba optime sonant. Dicta quoque priora cum iis consentiunt. Si vero sensum & ultimum ex 1. Cor. X. 16: citatum locum spectes, censuram merentur. Quod enim (N) ad sensum verborum attinet, quibus per Spiritum S. CHRISTO inferi dicimur, negant, nos ipsi substantiali corpori CHRISTI inferi, vel nos cum ipso CHRISTI corpore & sanguine substantiali uniri. Negant, hoc fieri mediantibus pane & vino consecratis, & cum C. & S. C. sacramentaliter unitis. Corpus enim & S. C. tam longe à nobis distare ajunt, quam distat cœlum à terra, quod ex sequentibus evidentius constabit. Unionem potius hanc in eo consistere docent, quod CHRISTUS, corpore absens & in cœlo sedens, spirituales suas proprietates per Spiritum S. tanquam canalem, qui etiam vinculum hujus conjunctionis dicitur, in nos transfundat fide recipiendas. Diserte CALVINUS Lib. IV. Instit. Cap. 18. Sect. 12. Ipsa, inquit, corporis CHRISTI presentia non opus est, quo ipsius participatione fruamur, quando hoc beneficium per Spiritum suum nobis Dominus largitur, ut unum corpore, spiritu & anima secum sumus. Vinculum ergo istius conjunctionis est Spiritus S. cujus nexu copulamur, & quidem velut canalio:

canalis, per quem, quicquid CHRISTUS ipse & est & habet, ad nos derivatur. Conf. FEURBORNIVS in Epit. errorum Calvin. Disp. 26. & ipsius Catechismi quæst. 76. infra citanda. Censura dignam hanc esse Reformatorum hypothesein, dixi. (1) enim contra clarissima CHRISTI verba, dicentis: Hoc, quod corporis ori comedendum & bibendum porrigitur, esse substantiale corpus & substantialem sanguinem suum, ideoque mediante pane & vino S. Cœnæ convivis cum ipso substantiali corpore & sanguine suo uniri, separantur res cœlestes, substantiale nempe corpus & substantialis sanguis CHRISTI, à terrenis, pane & vino, nosque nonnisi cum terrenarum substantia uniri, statuitur. (2) Contradicitur Paulo, 1. Cor. X. 16. satis clare docenti, symbola eucharistica nobis communicare substantiale corpus CHRISTI, ejusque sanguinem, quibuscum proinde digni Sacræ Cœnæ convivæ vere uniuntur. Sed de hoc loco mox plura dicemus. (3) Conscientiæ maximo privantur solatio, quod ex ipsius substantialis corporis & sanguinis CHRISTI approximatione ad se percipere poterant. Jacobo Patriarchæ lætus adferebatur nuntius, Filium vivere, & beatissime vivere. Non credebat initio, alia omnia persuasus. Sed cum videret currus & jumenta ad se advehendum missa, tum animo recreatus velut ad se ipsum redibat. Tandem, cum filium coram videre & complecti præsentem, & os ori admoveere, oscula quoque dare & accipere possêt, tum vero extra se raptus prorsusque voti damnatus, nil sibi felicitatis in terra restare amplius, arbitrabatur. Sic, ubi Evangelium nobis de recuperata per CHRISTUM salute proponitur, hæsitamus non raro, saltem applicare nobis, quæ promittuntur, firma solidaque



daq; persuasione non possumus. Ubi panem & vinum,
 vehicula corporis & sanguinis JESU CHRISTI certis-
 sima, intuemur, animo mirifice confirmamur. Ubi
 vero mediantibus illis CHRISTUM ipsum nos parti-
 cipare meminimus, tum vero præ nimio gaudio: *Evo-
 lemus! Evolemus!* cum MONICA, Hipponensis matre,
 intra nos exclamamus. Tantum in orali C. & S. C.
 manducatione, indeq; fluente unione cum ipsa substan-
 tia C. & S. C. situm est: quo tamen sacri epuli convivas
 privat *Reformatorum* hypothesis. Vid. WERNSDORFIUS
 in *Disp. de Dissensu fundam. inter socios A. C. & Reform. in art.
 de Cœna. §. 18.* (□) Quod ad dictum Pauli *1. Cor. X. 16.*
 attinet, male illud hoc loco ad suam stabiliendam sen-
 tentiam adducunt Catechetæ. Panis & vinum dicuntur
 esse *νοῦναια τῆ σῶμα* & *καὶ ἀμα* τῆ *χρῆς* Panis &
 vinum sunt *substantia*; *νοῦναια* vero est *accidens*, sive *rela-
 tio*, sive *actio*. Quær. Quomodo accidens h. l. de sub-
 stantia in abstracto affirmetur? Reformati, non nisi
 significandi virtutem symbolis eucharisticis conceden-
 tes, hîc quoque eadem eo saltem sensu *νοῦναια* rerum
 cœlestium dici statuunt, quod sint *signa unionis spiritualis*,
 qua per solam fidem homo particeps fit Corp. & S. C.
 five potius beneficiorum C. & S. C. acqvifitorum; quasi
 mens Pauli sit: *Panis & vinum in usu Cœnæ nonne
 significant unionem spiritualem nostri cum CHRISTO? nonne
 significant, quod tam vere per fidem homo particeps
 fiat C. & S. C. vel beneficiorum C. & S. C. partorum,
 quam vere ore corporis fit particeps panis & vini? Vide
 hanc explicationem apud WENDELINUM in Theol. Christ.
 Lib. 1. Cap. 23. pag. 414. 425.* Alienam vero illam esse à
 mente PAULI, totus contextus docet. Dabimus uni-
 cum

cum argumentum. Paulus Corinthiis dissuadet idololatricam v. 17. & speciatim participationem *ἰδωλοθύτων*. Et hoc quidem v. 16. & 20. vali argumento: Qui vescitur idolothytis, ille habet communionem cum dæmonibus. Qui vescitur benedicto pane & vino, ille habet communionem cum CHRISTO. Utrumque vero simul non licet. Ergo abstinendum est ab esu *ἰδωλοθύτων*. Manifestum est, Paulum hic conferre communionem Dæmonum cum communionem CHRISTI. Et ut argumentum rite procedat, dicendum est, utriusque communionis eandem rationem esse. Jam quær. Quomodo se haberit communitio cum dæmonibus ex hypothesi gentilium? Ex antiquis eorum scriptoribus ostendit celeb. GOTTFR. OLEARIUS in Diff. eruditiss. *de κοινωνία cum CHRISTO & demone*, gentes dæmones suos finxisse materiales, & illorum substantiam orali manducatione mediantibus idolothytis se participare credidisse. Sequitur inde, talem quoque communionem v. 16. intelligendam esse, qua ipsam substantiam C. & S. CHRISTI orali manducatione participant convivæ. Hinc demum Paulus ita argumentari potuit: Vos, ô Corinthii, in Sacra Cœna orali manducatione participastis substantiam C. & S. C. ergo minime licet eadem ratione esse in communionem dæmonum. Certe, cum Paulus non simpliciter dicit, panem & vinum esse *κοινωνίαν τῆς χριστοῦ*, sed *σώμα τῆς χριστοῦ καὶ αἷμα τῆς χριστοῦ* non obscure hanc argumentandi rationem docet. Hæc cum ita sese habent, manifestum est, panem & vinum dici *κοινωνίαν τῆς σώματος* κτλ. *instrumentaliter*, ita, ut abstractum pro concreto positum sit: *Panis & vinum sunt communicatio, i. e. sunt communicantes*, vel tanquam medium & vehiculum com-

muni-



munitur nobis substantiale corpus & substantialem
 sanguinem CHRISTI, quemadmodum idolothya
 communicare credebantur vescentibus substantiam
 dæmonum. Sic ergo panis & vinum vere & realiter
 sunt unita cum corpore & sanguine CHRISTI, & medi-
 antibus symbolis illis credentes vere uniuntur cum ipsa
 substantia corporis & sanguinis CHRISTI. Minime
 ergo locus hic Reformatis favet; sed nostram potius
 sententiam solidissime confirmat. Exemplum hujus
 constructionis, quæ abstractum ponitur pro concreto,
 habes 1. Cor. I. 30. ubi CHRISTUS dicitur esse *ἀγίασμός*
 & *ἀπολύτρωσις*, i. e. *ἀγιάζων* & *λυτρωτής*. Plura vid. apud
 DORSCHHEUM in *Pentadec.* & in *Ep. diss. contra Ariseum*. It. in
 HANNEKENII *Disp. de Reali C. & S. C. in S. C. presentia,*
ad h. l. & CHEMNITII *Exam. Conc. Trid. f. m. 476.* Cæterum
 hanc Catechismi sententiam merito improbant Ponti-
 ficii. Interim tamen non est præcipua causa, cur eum
Palatini tam immani odio prosequuntur.

§. IV.

De CHRISTO loquens catechismus addit: *jam*
eum vero corpore suo in cælo sedere ad dexteram Patris, ibique
adorari velle: quod sequentibus Scripturæ dictis confir-
 matur, *Hebr. I. 3. VIII. 1. Joh. IV. 21. 22. 23. XX. 17. Luc.*
XXIV. 52. Act. VII. 55. 56. Coloss. III. 1. Phil. III. 20. 1. Thess.
I. 10. Verba iterum recte se habent, Pontificiorum ido-
 lolatriæ, CHRISTUM in sacra hostia adorantium, sine
 dubio opposita. Sed ad sensum si attendas, varios
 iterum deprehendes errores. (I) enim de *Sessione CHRISTI*
ad dextram Patris non recte sentiunt Reformati. Præter
 hoc enim, quod eam non soli humanæ, sed etiam divinæ
 naturæ tribuant, docent (a) eam esse localem. Dexte-
 ram

ram DEI proprie esse definitum locum. Hunc locum non esse ubique, sed cœlum ipsum, sedem videlicet DEI & beatorum spirituum. Ad hanc vero dexteram ubi confedit CHRISTUS, certo quodam loco eum includi, circumscribi & capi, donec rediturus sit ad iudicium. Vid. SCHLÜSSELBURGIUS in *Theol. Calvinist. Lib. 1. art. 26.* (β) Sessionem ad dextram Patris significare collationem potentiae, gloriæ & majestatis, non infinitæ & divinæ, sed creatæ & finitæ, Angelorum tamen omniumque creaturarum donis longe majorem, ita, ut CHRISTUS proximum à Patre, non eundem cum Patre gloriæ gradum obtineat. Ita disertè ZANCHIUS *Lib. 2. de Incarn. pag. 435. 437.* POLANUS in *Synt. Theol. Lib. 6. c. 26.* (II) Hac hypothesi sua, veritateque corporis CHRISTI ad negandam præsentiam ejus in his terris & in S. C. abutuntur. Disertè BEZA in *Creophagia, pag. 66.* Neque dubitamus nos, inquit, ex verbo DEI affirmare, CHRISTUM amplius quærendum non esse in terris, quod ad corpus attinet, cum vere adscenderit ad cœlos, quibus comprehenditur tantisper, dum ad extremum illud iudicium vere descendat. Sic quoque *Ministri Tigurinae & Gener. ecclesie* scribunt: Dicimus, CHRISTUM in cœlo esse quærendum. Hac locutio locorum distantiam nobis sonat & exprimit. Et quia CHRISTI corpus finitum est, & cœlo ut loco continetur, necesse est, à nobis tanto locorum intervallo eum distare, quanto cœlum abest a terra. Denique in *Admonit. Neostad.* ZACH. URSINUS, auctor Catechismi Palatini, *cap. 8. p. m. 333. 334.* Est, inquit, corpus CHRISTI creatura, quæ infinita esse non potest. Est corpus vere humanum, constans carne & ossibus, & reliquis partibus homogeneis & heterogeneis corporis, habens partem extra partem caput extra pedes & pedes extra caput; quod non patitur ubiquitas; habens certa lineamenta,



menta, terminos & figuram, quibus circumscribitur, visibile & palpabile etiam in cœlesti vita & gloria, & ad dextram DEI, ad quam stantem vidit JESUM Stephanus, & sedentem videbunt omnes homines in die judicii. Imo in ipso Catechismo qu. 47. docent: Christus ist wahrer Mensch und wahrer GOTT. Nach seiner Menschlichen Natur ist Er jehunder nicht auf Erden. Vides, quomodo Reformati adscensione CHRISTI in cœlum, sessione ejus ad dextram Patris, veritateque corporis ejus abutantur ad negandam præsentiam ejus in his terris & in Sacra Cœna. Plura testimonia vid. in SCHLÜSSELBURGHII *Theol. Calvinist. Lib. 3. art. 5.* (III) denique eundem adorationis cultum, quem divine nature præstamus, humane CHRISTI nature, in unione personali spectatæ, prorsus denegant. Nonnulli quidem à durioribus antiquiorum phrasibus abhorreere videntur, imo Lutheranorum lingua utuntur; mentem tamen ubivis servant eandem. Nec sane aliter possunt, quamdiu, infinitam majestatem divinam, utpote fundamentum adorationis religiosæ Jer. X. 6. 7. humanæ CHRISTI nature communicatam esse, negant. Vid. FRID. RAPPOLTI *Disp. Inaug. de Adoratione Carnis CHRISTI*, & JOH. BERINGII nostri *Disp. de Adoratione CHRISTI Θεωροῦμεν*.

§. V.

Hæc omnia verò, quæ sub Catechismi nostri verbis latent, Reformatorum dogmata Scripturæ contraria esse, facili negotio evincitur. (I) nempe, cum CHRISTUS *Ephes. IV. 10. super omnes cœlos erectus esse* dicitur: cum *Ebr. VII. 26. dicitur sublimior cœlis factus*, ubi nullus amplius locus datur vel cogitari potest: Cum dextra DEI immaterialis minime est vel locus, vel in loco; sed infinita DEI majestas, potentissime, præsentissime & sapientissime
omnia

omnia gubernantis, thronus majestatis in cœlo, *Hebr. VIII. 1.* potentia DEI, *Marc. XIV. 62.* omnipræsencia ejus, *Psal. CXXXIX. 10.* universalis gubernatio creaturarum, *Psal. LXXVII. 11. &c.* absurdum est, CHRISTUM certo loco alligare, vel, eum definito & circumscripto πῶς capi vel includi, statuere. Porro, cum à primo statim unionis personalis momento tota plenitudo deitatis, omnis divina majestas, potentia, dominium, in CHRISTO habitavit corporaliter, i. e. humanæ ejus naturæ communicata fuit, *Coloss. II. 9.* ad cujus plenarium & incessantem usum per exaltationem & sessionem ad dextram Patris evectus est, *Eph. I. 20. sqq. Ps. CX. 1. sqq. Phil. II. 6-9.* quis finitam & creatam gloriam sive majestatem somnaret, & non potius, ad infinitæ majestatis usum dominiq; exercitium æternum CHRISTUM exaltatum esse, pie crederet? Quod cum ita sit, (II) ultro sequitur, porro peccare Reformatos, cum veritate corporis CHRISTI, ejusque sessione in cœlis ad dextram DEI abutuntur ad negandam omnipræsenciam ejus in his terris & in Sacra Cœna. CHRISTUM quoad humanam etiam naturam, *vi unionis personalis*, per quam ei data est omnis plenitudo deitatis, & omnis potestas in cœlo & in terra, *Matth. XXVIII. 18.* & *vi exaltationis suæ* ad plenarium & incessantem usum communicatæ hujus majestatis, *vera, reali, substantiali & efficaci præsentia*, (ratione modi tamen non *inclusivæ, localiter, diffusivæ, expansivæ & physice, sed majesticæ & modo divino*, quo ipsa divina natura præsens est,) omnibus creaturis, inprimis vero ecclesiæ, & ubi præsentiam suam specialius promisit, adesse, luculentissima Scripturæ testimonia docent. Ipse Salvator *Matth. XVIII. 20. Ubi, inquit, sunt duo vel tres congregati in nomine*



meo, *ibi sum in medio eorum.* Omnipræsentiam, & quidem etiam *in terra*, innuunt partim ex v. 19. hic repetendæ voces ἐπι τῆς γῆς, partim ex v. 20. vox *ubi, ubicunq; fuerint.* Quod etiam simultaneam congregationem diversorum Christianorum in diversissimis locis terræ includit: alias non potuisset dicere: *Ubicunq; congregati sunt.* Substantialem præsentiam docet phrasis: *in medio alicujus esse,* Gen. XXIII. 6. Job. I. 26. Matth. X. 16. 2. Cor. VI. 16. Quod vero hanc divinam omnipræsentiam de *humana quoque natura sua* CHRISTUS intellectam velit, ex cohærentia vers. nostri 20. cum præced. 19. liquet. Dicit CHRISTUS: *Si duo consenserint super terra de re quacunq; petenda, fiet illis à Patre meo, qui est in cælis.* Ego enim *sum in medio eorum, qui congregati sunt in nomine meo.* Ubi ratio exauditionis hæc est, quod CHRISTUS, dilectissimus DEI Filius, tanquam caput ecclesiæ suæ, tanquam mediator hominum, in medio Christianorum sit in hac terra, qui audiat preces illorum, qui illas deferat ad DEUM Patrem, qui intercedat pro Christianis. Secundum quam ergo naturam CHRISTUS est caput ecclesiæ & mediator noster, intercedens pro nobis, secundum illam est in medio Christianorum in his terris. Atqui etiam secundum humanam naturam &c. Ergo. Porro Salvator Matth. XXVIII. 20. dicit: *Ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Realem & substantialem præsentiam docet verbum ἐπι, quod sine necessitate de sola virtuali præsentia, seu cooperatione intelligendum non est. Universalem hanc esse præsentiam *in his terris*, inde patet, quia CHRISTUS præsens dicitur futurus doctolibus inter omnes gentes, v. 19. Denique hanc præsentiam *humane quoque CHRISTI nature* competere, inde liquet,

liquet, quia ex communicatione omnis majestatis
 divinæ v. 18. fluit. Hanc CHRISTUS tanquam funda-
 mentum præmittit, ex eaque derivat (a) facultatem
 mittendi doctores, atq; renovandi institutionem bap-
 tismi, v. 19. (β) omnipræsentiam suam, v. 20. Secundum
 quam ergo naturam CHRISTO data est omnis potestas
 in cælo & in terra, secundum eam est omnipræsens.
 Atqvi secundum H. N. Ergo. Quod CHRISTUS
 præcedenti loco dixit, sibi datam esse omnem potesta-
 tem in cælo & in terra, ut cum doctoribus esset inter
 omnes gentes, idem docet Paulus *Eph. I. 20 - 23. IV. 10.*
CHRISTUM, dicens, *exaltatum esse super omnia, & super*
omnes cælos adscendisse, ut omnia in omnibus impleret. *Substan-*
tialis præsentia intelligitur, quando CHRISTUS omnia
 implere dicitur. Ita enim de DEO, substantialiter
 omnia implente, dicitur *Jer. XXIII. 24. quod cælum &*
terram repleat. Et CHRISTUS hoc repleat explicat locis
 citatis per *τὸ esse.* Inprimis apud Paulum notandum
 est, quod cætera prædicata, è mortuis suscitari, exal-
 tari ad dextram Patris super omnia, esse caput ecclesiæ,
 descendisse ad infima terræ loca, adscendisse super
 omnes cælos, substantiæ CHRISTI competant, & de
 CHRISTO utique dicantur ratione substantiæ. Cur
 ergo repletio omnium, ex præcedentibus prædicatis
 tanquam consequens deducta, non esset substantialis.
Universalem hanc esse præsentiam, docet voc. *πάντα*, com-
 plectens infima terræ loca omnesq; cælos. De *humana*
 vero *natura* hæc intelligenda esse, ex descriptione naturæ
 omnia replentis, à Paulo præmissa & subjecta, constat.
 Secundum H. N. suscitatus est mortuis, exaltatus
 ad dextram Patris, super omnes Principatus, &c. con-



stitutus caput ecclesiæ. Secundum H. N. adscendit in altum, & dona accepit hominibus distribuenda, descendit ad infima terræ loca, constituit Apostolos, &c. Ergo secundum humanam quoque naturam omnia replet. Nec obstat (1) *veritas corporis CHRISTI*, per quam debebat esse finitum, circumscriptum, in loco, visibile, palpabile. Scimus enim ex *Eph. III. 20. DEUM superabundanter facere posse ultra omnia quæ petimus aut cogitamus, juxta potentiam suam agentem in nobis*. Quamvis ergo per potentiam naturalem fieri nequeat, ut dictæ proprietates essentialis absint à corpore, & verum tamen maneat corpus: Quamvis nos modum non intelligimus, quo corpus, absentibus licet his proprietatibus, verum corpus maneat; bene tamen abesse possunt per omnipotentiam divinam, & corpus CHRISTI utiq; verum corpus manet, absentibus etiam illis proprietatibus. Veræ H. N. proprietas est, ut propriam habeat *ὕψιστον*. Atqui ipsi *Reformati* negare non audent, H. CHRISTI N. propria carere subsistentia. Num vero ideo corpus CHRISTI desit esse verum corpus? Proprietas ignis est urere, & corporis, igne consumi. Ferri corporisque humani proprietas est aqua mergi. Cum vero igne fornacis Babylon. ipsos Babylonios consumente, non consumerentur viri Judæi, *Dan. III. 22. 23. sqq.* Cum securis Prophetæ ex aqua adscenderet, *2. Reg. VI. 6.* Petrusque super aqua ambularet, *Matth. XIV. 29.* an ignis iste, an corpora humana, an ferrum non erant verus ignis, vera corpora, verum ferrum? Cum itaque per DEI potentiam infinitam alia corpora vera maneant corpora, deficientibus licet quibusdam proprietatibus essentialibus, quidni corpus ipsius DEI, in *ὕψιστον* divinam

nam



nam assumptum, eodem gauderet privilegio? Nec (2) obstat, quod *CHRISTUS jam in cælo esse dicatur*. Non enim tantum dicitur esse in cælo; sed simul super omnes cælos adscendisse, & excelsior esse omnibus cælis. Ergo *τὸ esse in cælo* de *CHRISTO* dictum, non significat inclusionem in aliquo loco, vel circumscriptionem, quasi cælo circumscriptus & inclusus esset, ut in terra esse simul nequeat; sed notat potius gloriosissimum illum statum *CHRISTI*, in quem per exaltationem suam evehctus est, statui miseriæ hujus mundi oppositum: quemadmodum *DEUM* vocamus Patrem in cælis, non qui cælo inclusus sit, sed qui gaudeat cœlesti & infinita sapientia, veracitate, misericordia, potentia, præsentia, quales Patres terreni non sunt. Vid. *Psalm. CXV. 3. Kobel. V. 1.* Et nonne *CHRISTUS* aliquando post adscensionem suam corpore in his terris præsens visus est? Paulus in terra iter faciens Damascum, vidit eum præsentem *ὡσὼς*, ut ocularis posset esse resurrectionis *CHRISTI* testis, *Act. XXII. 14. XXVI. 16. 1. Cor. XV. 8. IX. 1.* conf. Jo. FECHTII *Disp. de Apparitionibus CHRISTI post adscensionem ejus factis.* Jam si cum his conferas *Reformatorum* hypothesein ex *Actor. III. 21.* quod *CHRISTUS*, cælo captus, nunquam eum sit deserturus usque ad judicii extremi diem; habebis *CHRISTUM* præsentem simul in cælo & in terra. (III) Et quia hac ratione manifestum est, humanæ *CHRISTI* naturæ, in unione personali spectatæ, communicatam esse omnem divinam majestatem, imo, quia illa jam in statu exaltationis plenario & incessante ejus usu gaudet, quilibet facile intelligit, eidem competere quoque cultum religiosæ adorationis & invocationis, & eundem quidem, quem divinæ præsta-

præstamus. Hoc diserte CHRISTUS ipse docet *Job. V. 23.* Omnes, dicens, *debere filium honorare eo modo, quo honorant Patrē: Et qui sic non honorat filium, eum nec Patrem honorare.* Non puto, quemquam negare posse, de divino ac religioso cultu CHRISTUM loqui, sibi præstando. Sed præmittit quoque CHRISTUS fundamentum hujus cultus *vers. 22.* nempe communicationem majestatis divinæ, exerentis sese per visibile judicium in die extremo. Non vero agi h. l. de communicatione majestatis per æternam generationem, sed de ea, quæ in tempore humanæ naturæ facta est, ex *vers. 27.* discimus, ubi CHRISTUS, *ideo, inquit, sibi datam esse potestatem judicandi, quod filius hominis sit,* ideoque tanquam visibilis judex in nubibus ad judicium apparere possit. Cui naturæ ergo communicata est potestas judicandi, illa quoque religiose adoranda est: quia nempe communicatio hujus majestatis adducitur pro fundamento religiosi cultus *vers. 22.* Atqui humanæ naturæ &c. *v. 27.* Ergo. Addatur *Phil. II. 9. 10. II. Hebr. I. 6.* Cæterum, verba Catechismi, hoc §. sub examen vocata, Pontificiis directe opposita esse, jam ante monuimus. Cum enim dicitur, *CHRISTUM vero suo corpore jam in caelo esse,* rejicitur vera ac realis præsentia substantiæ corporis & S. C. in S. C., quam nobiscum defendunt Pontificii. Cum porro dicitur, *CHRISTUM in caelo adorari velle,* rejicitur adoratio ejus in symbolis eucharisticis, quam Pontificii soli propugnant. Et hanc quidem recte damnat Catechismus: quare non est, quod hæc verba, *daß Christus im Himmel wolle angebetet werden / expungere jubeant Pontificii.* Cum vero præcedentibus verbis, *daß Christus in dem Himmel mit seinen wahren Leib im Himmel zur Rechten des Vaters*

Daters



Baters sey / substantiam C. & S. C. ex S. C. prorsus
 excludunt Reformati, recte quidem consequentiam
 hanc rejiciunt Pontificii, ipsa vero verba non meren-
 tur odium, inprimis, quia ipsi Pontificii quoad sensum
 horum verborum in plerisque cum Reformatis amice
 conspirant. Negant cum Reformatis Pontificii, per-
 fessionem ad dextram DEI humanam CHRISTI natu-
 ram ad plenarium & incessantem infinitæ majestatis
 divinæ usum evectam esse. Vid. SCHERZERUS in *Anti-
 Bellarm.* pag. 194. BECANUS *l. c.* pag. 482. 483. Quamvis
 præsentiam substantialis C. & S. C. in S. C. asserunt
 Pontificii, negant tamen cum Reformatis, H. C. N.
 post exaltationem esse ubique. Vid. SCHERZERUS *l. c.*
 pag. 186. BECANUS *l. c.* Lib. 2. c. 1. integro, & FORERI *Bellum
 ubiqvitist.* it. *Manuale Lutheranor.* pag. 224. Dicunt potius
 cum iisdem, post adscensionem in cœlum H. C. N. certo
 & unico cœli loco capi. SCHERZERUS *l. c.* pag. 191. 192.
 BECANUS *l. c.* pag. 473. Negant deniq; cum Reformatis,
 H. C. N. æqualem cum Patre cultum religiosum præ-
 standum esse, inepte & contra Scripturam distingven-
 tes inter λατρείαν, θελείαν & ὑπερθελείαν, quarum illa
 soli DEO, ista Angelis & sanctis, hæc humanæ CHRISTI
 naturæ & B. Mariæ competat. Vid. STOLBERGII *Disp.
 de hoc argum.* in *Tract. Exercitatt. lingvæ Græcæ, n. 6.* pag. 303.
 SCHERZERUS *l. c.* pag. 442. 443.

§. VI.

Restat unica vox (bezeugen) in verbis Catechismi,
 sententiam Reformatorem de S. C. exprimentibus,
 qua dicitur, *S. eucharistiam testari, nos remissionem pecca-
 torum &c.* Hoc ipso negant, Eucharistiam efficacis-
 simum esse medium, omnibus convivis offerens, cre-

D

denti-



dentibus vero conferens, applicans & obsignans remissionem peccatorum & gratiam DEI; esse medium, quo communio CHRISTI augetur, confirmatur & obsignatur, ipsaque unio cum CHRISTO arctior redditur. Statuunt potius, eucharistiam nudum saltem esse signum & testimonium de iis, quæ immediate CHRISTUS in credentibus efficit, vel ante, vel in usu Sacræ Cœnæ, nempe remissione peccatorum, fidei confirmatione & unione cum CHRISTO, &c. Nimirum constat, Reformatos veram, realem ac substantialem præsentiam C. & S. C. in Sacra Cœna, horumque sacramentalem unionem cum pane & vino, quæ veram unius ad alterum adessentiam citra distantiam importat, negare, sicque symbola eucharistica pro nudis signis habere & testimoniis C. & S. C. absentis, ita, ut symbola ista significant saltem atque testentur, quam vere accipiatur panis & vinum ore corporis, tam vere fidei ore accipi C. & S. C. in cœlo sedentis. Jam, cum in sacramento hoc nihil aliud relinquunt manu ministri dispensandum, præter nudum panem ac vinum; fieri sane aliter non potest, quin etiam dicant, ipsam gratiam DEI, remissionem peccatorum, unionem cum CHRISTO, spem salutis atque resurrectionis ad vitam æternam, fidei confirmationem, non sacramento hoc tanquam medio efficacissimo offerri, conferri, applicari & obsignari, ita, ut sacramentum hoc sit medium exhibitivum, oblativum, collativum & applicativum; sed hæc omnia per symbola eucharistica, nudum scilicet panem & vinum, totamque sacramentalem actionem saltem repræsentari & significari, aut occasione administratæ Cœnæ credentibus, spiritualiter ore
fidei

fidei CHRISTI C. & S. manducantibus & bibentibus, i. e. meritum CHRISTI apprehendentibus, applicari, ita, ut sacramentum hoc saltem sit signum mere significativum, & testimonium significans & testificans id, quod ante vel in usu Sacræ Cœnæ immediate in nobis per fidem efficit CHRISTUS. Hanc mentem esse Reformatorum, vix indiget confirmatione. Videantur verba illorum citata à CALOVIO in *Defensione Lutheranismi de SS. eucharistia, Sect. 5.* WERNSDORFIO in *disf. de Dissensu fundam. Luther. & Calvin.* & SEB. EDZARDO in *disf. de Fugienda Unione cum hodiernis Reformatis, Cap. 5.* Audiamus saltem, quid CATECHISMUS PALATINUS sentiat. Qvæst. 75. verba ita fluunt: Wie wirst du im heiligen Abendmahl erinnern und versichern / daß du an dem etzigen Opffer Christi am Creuz und allen seinen Gütern Gemeinschaft habest? Also / daß Christus mir und allen Gläubigen von diesen gebrochenen Brode zu essen / und von diesen Kelch zu trincken befohlen hat zu seinen Gedächtnis / und dabey verheissen / erstlich / daß sein Leib so gewiß für mich am Creuz geopfert und gebrochen / und sein Blut für mich vergossen sey / so gewiß ich mit Augen sehe / daß das Brode des HERRN mir gebrochen / und der Kelch mir mitgetheilet wird. Und zum andern / daß Er selbst meine Seele mit seinen gereuzigten Leib und vergossenem Blut so gewiß zum ewigen Leben speise und träncke / als ich aus der Hand des Dieners empfangen / und leiblich niese das Brode und den Kelch des HERRN / welche mir als gewisse Warzeichen des Leibes und Blutes Christi gegeben werden. Qvæstio 76. ita se habet: Was heißet den gereuzigten Leib Christi essen / und sein vergossen Blut trincken? Es heißet nicht allein mit gläubigen Herzen das ganze Leiden und Sterben Christi annehmen / und dadurch Vergebung der Sünden und ewiges Leben bekommen; Sondern auch daneben durch den heiligen Geist / der zugleich in Christo und in uns wohnet / also mit seinem gebenedeyeten Leibe je mehr und mehr vereiniget werden / daß wir / ob Er gleich im Himmel / und wir auf Erden sind / dennoch Fleisch von seinem Fleisch / und Bein von seinem Bein sind / und von einem Geist



(wie die Glieder unsers Leibes von einer Seele) ewig leben und regieret werden. Quæstione 78. sic loquuntur: Wird denn aus Brodt und Wein der wesentliche Leib und Blut Christi? Nein. Sondern wie das Wasser in der Tauff nicht in das Blut Christi verwandelt/ oder die Abwaschung der Sünden selbst wird/ deren es allein ein göttlich Warzeichen und Versicherung ist; Also wird auch das heilige Brodt in Abendmahl nicht der Leib Christi selbst/ wiewol es nach Art und Brauch der Sacramenten der Leib Christi genennet wird. Quæstio denique 79. est: Warumb nennet denn Christus das Brodt seinen Leib/ und den Kelch sein Blut/ oder das neue Testament in seinem Blut/ und St. Paulus die Gemeinschaft des Leibes und Blutes Jesu Christi? Christus redet also nicht ohne grosse Ursach. Nämlich/ daß Er uns nicht allein damit wil lehren/ daß/ gleichwie Brodt und Wein das zeitliche Leben erhalten/ also sey auch sein gecreunigter Leib und vergossen Blut die ware Speise und Trancf unserer Seeletz zum ewigen Leben; sondern vielmehr/ daß Er uns durch dies sichtbare Zeichen und Pfand wil versichern/ daß wir so warhafftig seines wahren Leibes und Blutes durch Wirkung des heiligen Geistes theilhaftig werden/ als wir diese heilige Warzeichen mit den leiblichen Munde in seinem Gedächtnis empfangen/ und daß all sein Leiden und Gehorsam so gewiß unser eigen sey/ als hätten wir selbst in unser eigen Person alles gelitten und genug gethan. Videmus ex adductis verbis Reformationum mentem. (a) Quod substantiam C. & S. C. ex S. C. excludant, solum panem & vinum ex manu ministri accipi, solaque symbola externa corporis ore sumi statuentes, qv. 75. (β) Quod externa symbola nuda signa significativa C. & S. C. absentis esse statuant, & quod C. & S. C. non mediantibus symbolis externis, sed per operationem Spiritus Sancti specialem nobis communicentur, qv. 75. 79. (γ) Quod unio nostri cum CHRISTO non fiat mediantibus symbolis eucharist. sed per Spiritum Sanctum tanquam canalem, qv. 76. (δ) Quod manducare & bibere C. & S. C. nihil aliud sit, quam fide sibi applicare mortem & passionem CHRISTI, qv. 76.

qv. 76. (e) S. Cœnam non esse medium offerens, conferens & obsignans remissionem peccatorum, quemadmodum baptismus non est medium abluens peccatorum sordes, qv. 78. (s) Remissionem peccatorum & vitam æternam per solam spiritualem manducationem obtineri, qv. 76. (?) Sacramentum vero nudum esse signum, pignus & certificationem passionis CHRISTI in cruce, meritiq; ejus nobis applicandi, qv. 75. 79. Atque inde, quid de Sacra Cœna sentiant Reformati, manifestum est. Sunt quidem, in primis ex recentioribus, nonnulli, qui nobiscum Sacramenta *signa exhibitiva* vocare haud verentur, per quæ promissa bona cœlestia exhibeantur seu donentur & approprientur; sed linguam istam mutarunt, non mentem. (1) enim nunquam affirmabunt, Sacramentum Cœnæ esse signum exhibitivum ratione rei vel *materiae cœlestis*, ita, ut externis signis panis & vini vere quibuscunque convivis exhibeantur ore corporis manducandum corpus bibendusque sanguis CHRISTI, cum externis signis realiter & substantialiter unita. Statuunt potius adhuc hodie, substantiam C. & S. C. tam longe à nobis abesse, quam distat cœlum à terra. (2) ergo nec intuitu *gratiae & annexarum promissionum* S. Cœnam habent pro signo exhibitivo, hoc sensu, quod per eam tanquam medium seu causam organicam eadem vere nobis conferantur & applicentur: sed eo saltem sensu ita vocant, quod occasione administratae Cœnæ, vel tempore simul, quando homo fidelis edit panem vinumque bibit ore corporis, hoc ipso tempore immediate DEUS in credentibus operetur. Itaque particulam *per vocemq; exhibitivi signi* ita intelligunt, ut nihilominus sacramentum maneat signum mere significativum.

D 3;

E. gr.



E. gr. quando dicimus : *per* hanc vel illam imaginem nobis exhiberi CALVINUM, *per* hanc vel illam picturam exhiberi nobis felicitates futuri seculi, aut cruciatus infernales ; tum certe picturæ istæ non sunt signa vere collativa & realiter exhibitiva, sed saltem repræsentativa & mere significativa. Interim de illis dicitur, quod hoc vel illud *per* eas nobis exhibeatur. Et sic Reformati terminos hos intelligunt. Vid. CALOVIVS *l. c.* & WERNSDORFIUS *l. c. pag. 11.*

§. VII.

Nos, Scripturæ dictamen sectantes, merito contrarium defendimus. Non quidem simpliciter *signi, sigilli, pignoris, testimonii, testificationis* nomina rejicimus, utpote quæ in ipsa AUG. CONF. *art. 13.* APOL. A. C. *art. 13. pag. 200. Art. 3. abus. pag. 267. 262.* in CHEMNITH *Exam. Conc. Trid. P. 2. L. 1. f. m. 292. Loc. 4. f. 366. Loc. 6. f. 487.* in AGENDA ECCLES. POM. *f. 60. a. 355. b. 356. a.* alibi que passim usurpari novimus : & hoc quidem præeunte PAULO, qui circumcisionem Sacram. V. T. vocat *signum Rom. IV. 11.* & JOHANNE 1. *Job. 7. 8.* Dicimus vero, S. Cœnam non esse nudum testimonium, vel signum *mere significativum*, quod volunt Reformati ; sed *vere & realiter exhibitivum*, collativum, applicativum, tam ratione *materiae cœlestis*, quam ratione *gratiæ & annexarum promissionum*, quod volunt nostrates, ut ex locis citatis manifestum est. Add. APOL. A. C. *art. 3. abus. pag. 253. 273.* Nimirum Scripturæ suffragiis nixi statuimus (I) Cum pane & vino in sacramentali usu vere & realiter unitam esse substantiam C. & S. C. ita, ut symbola externa sint signa, ipsum substantiale Corpus & S. C. omnibus convivis vere exhibentia ore corporis manducandum bibendumque.

Et hoc

Et hoc quidem ipse CHRISTUS nos docuit, inquiring: *HOC*, totum *συντεταγμένον*, seu sacramentaliter unitum, quod manducandum & bibendum orī corporis porrigitur, *ESSE C. & S. SUUM*, more alias in propositionibus exhibitivis usitato, ubi ostensis rebus diversis, altera visibili, altera invisibili, ac quodammodo inter se unitis, totum complexum in subjecto (cujus loco ponitur pronomen demonstr. *HIC, HÆC, HOC,*) quidem demonstrant, in predicato autem partem præcipuam ac nobiliorem exprimant sensuiq; minus expositam. Ubi fundamentum est unio, finis simultanea exhibitio. Idem Paulus confirmat, inquiring, *panem & vinum esse communicationem C. & S. C.* panem & vinum esse unita cum C. & S. C. ideoque in legitimo usu ea exhibere & communicare sacri epuli convivis, quod supra evicimus. Atque ex hoc fundamento (II) dicimus, integrum sacramentum, constans elementis terrenis, pane & vino, & cœlestibus C. & S. C. atque verbo promissionis, quo CHRISTUS dicit: *Corpus suum tradi & frangi, sanguinem suum effundi pro nobis in remissionem peccatorum*, esse signum vere & realiter exhibitivum ratione gratiæ & annexarum promissionum, sive esse medium, quo DEUS omnibus convivis offert, dignis vero confert, applicat, obsignat, confirmat remissionem peccatorum, fidem, unionem cum CHRISTO, spem æternæ salutis & resurrectionis ad vitam æternam. Hæc vero ulterius confirmare, eoque errorem Catechismi Palatini profligare, instituti ratio postulat. (III) Urgemus analogiam verbi & sacramentorum. Qualis itaque vis & efficacia est verbi, talis etiam sacramentorum & speciatim eucharistiæ est. Atque verbi vis & efficacia non est nude objectiva, in nuda repræsentatione remissionis pecca-

peccatorum consistens; sed est operativa, vere ut medium & organum divinum proponens, offerens, efficiens, exhibens, distribuens & applicans meritum CHRISTI & remissionem peccatorum. Ergo. Majorem confirmat Johannes 1. *Epist.* V. 8. verbo, aquæ & sanguini eandem testandi vim tribuens. Quod nec aliter esse potest, quia sacramenta verbum promissionis ipsum in se semper efficacissimum annexum habent. Minorem probat Paulus *Rom.* I. 16. 1. *Cor.* I. 21. & Jacob. *Cap.* I. 18. & Petrus 1. *Epist.* I. 23. (2) Urgemus *naturam Sacramentorum V. T.* Sacramenta V. T. etsi ipsam personam Salvatoris non exhibebant, sed venturum saltem præfigurabant & prænunciabant; virtutem tamen ejus incarnationis & redemptionis, meritum ejus, gratiam DEI, remissionemque peccatorum vere obtulerunt, contulerunt, applicarunt, obfignarunt, tanquam media, organa & sigilla divina. Hoc Paulus docet, circumcisionem vocans *σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως*, sigillum imprimens, conferens, muniens, confirmans, obfignans justitiam CHRISTI indeque fluentem remissionem peccatorum. *Rom.* IV. 11. Vide hoc pluribus contra Pontificios assertum apud CHEMNITIIUM in *Exam. Conc. Trid. fol. 283. sqq.* ejusque defensorem contra BELLARMINUM, JO. BEN. CARPZOVIIUM in *Vindic. doctrine orthod. de Sacramentis in genere, aph. 2.* Qualis vero vis & efficacia est sacramentorum V. T., talis quoque est sacram. N. T. quia hæc in illorum locum successerunt, *Coloff.* II. 11. 12. 1. *Cor.* V. 7. hocque eo magis, quod in Sacramentis V. T. ipsa persona redemptoris adest & exhibetur. (3) Urgemus *naturam baptismi*, primi Sacramenti N. T. Illud non est nuda pictura, significans & representans ablu-
tionem

tionem à peccatis, quod Catech. Palat. quæst. 69. 72. statuit; sed efficacissimum est medium & organum, vere remissionem peccatorum, ex virtute divina eidem collata, in infantibus efficiens, in adultis obsignans. Hinc dicitur *lavacrum regenerans*, Tit. III. 5. *abluens peccata*, Actor. XXII. 16. *administrari in remissionem peccatorum*, Actor. II. 38. *Aqua baptismi dicitur salvos reddere homines*, 1. Petr. III. 21. &c. Jam vero eucharistiæ tanquam alterius Sacram. N. T. non minor potest esse efficacia, in qua ipsum C. & S. C. nobis manducandum & bibendus exhibentur. Ergo eucharistia quoque tanquam medium & organum divinum efficax vere confert & obsignat remissionem peccatorum. (7) provocamus ad ipsa verba institutionis H. E. C. M. & H. E. S. M. quod *pro vobis traditur, & qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum*, i. e. ut vobis acquiratur, vobis applicetur remissio peccatorum, Luc. XXII. 19. 20. Matth. XXVI. 28. 1. Cor. XI. 24. Nimirum hæc traditio, hæc effusio non tantum facta est in ara crucis *sacrificialiter*, ad acquirendam remissionem peccatorum; sed fit etiam *sacramentaliter* in distributione eucharistiæ ad eandem applicandam. Hoc non obscure innuit Paulus, 1. Cor. XI. 24. memorans, CHRISTUM dixisse: *Corpus suum frangit pro vobis, scil. in remissionem peccatorum*. Hæc vero fractio non est facta in ara crucis, Job. XIX. 33. 36. sed in distributione cœnæ, qua in, cum & sub pane fracto distribuebatur corpus CHRISTI. Ergo etiam in S. C. Corpus CHRISTI nobis traditur ad applicandam remissionem peccatorum. Argum. In qua cœna C. & S. C. pro nobis distribuuntur ad applicandam remissionem peccatorum, illa est medium & organum divinum efficax,

E

remis-



remissionem peccatorum conferens & obsignans. Atqui in S. eucharistia &c. Ergo. Conf. APOL. FORM. CONC. P. 1. c. 5. fol. 122. b. P. 2. fol. 81. a. ÆGID. HUNNIUS de *Sacram. pag. 341.* (7) nitimur *conditione cibi & potus sacramentalis.* Caro CHRISTI est vivifica, non solum meritorie, *Job. VI. 51.* sed etiam *ἐνεργητικῶς*, applicans, dans mundo vitam per remissionem peccatorum, *v. 51. 53-54.* Quem locum sive cum plerisque nostratum de sola spiritali manducatione explices, sive cum GRÜNENBERGIO aliisque de sacramentali, hac vice perinde est: sufficit, utrobique C. & S. C. manducari. Conf. SCHERZERUS in *Colleg. Anti-Socin. pag. 973.* & in *Enucleato Brev. Hülsem. pag. 828. 829.* Argum. Quæ cœna applicat & exhibet panacæam vitæ, carnem nempe CHRISTI, vitam & remissionem peccatorum conferentem & obsignantem, illa non est nudum signum, sed efficax medium & organum DEI ad remissionem peccatorum conferendam & obsignandam. Atqui S. Eucharistia &c. Ergo. Vid. CHEMNITIUS *l. c. fol. 364.* Porro *Sanguis CHRISTI mundat nos ab omni peccato, 1. Job. I. 7.* Ubicunque ergo sanguinem CHRISTI bibimus, nec incredulitate obicem ponimus, ibi est medium applicandæ remissionis peccatorum. Atqui in S. Cœna &c. Ergo. (1) CHRISTUS dicit: corpus & sanguinem suum edendum esse bibendumque *ἐἰς τὴν ἀνάμνησιν τοῦ Χριστοῦ*, i. e. ut per hoc epulum in convivis memoria CHRISTI conservetur & confirmetur. Non vero hic intelligitur nuda recordatio *speculativa*, historiam passionis & mortis CHRISTI iteratis cogitationibus repetens; sed recordatio *practica, viva & efficax*, cum pio cordis affectu & fiducia conjuncta, qualis omnis cognitio CHRISTI ex intentione DEI esse debet. Eaquæ salu-



salutaris est remissionis peccatorum causa *Jesa. LIII. II.* faciens, *ne obliviscamur purificationis à peccatis, 2. Petr. I. 9.*
 Argum. Quæ manducatio & bibitio ex parte DEI est medium fiducialis recordationis CHRISTI in homine stabiliendæ, illa etiam est medium remissionis peccatorum omniumq; fructuum mortis CHRISTI applicandorum. Atqvi manducat. & bibit. sacramentalis &c. Ergo. Majorem confirmat canon : *Causa causa est causa causati.* Minor ex hæctenus dictis constat. Conf. omnino APOL. A. C. art. 3. abus. pag. 268. & ipsa AUG. CONF. pag. 25. Atq; hæc sunt argumenta præcipua, quibus sacræ eucharistiæ usus mere significativus & repræsentativus destruitur, & contra vis & efficacia operativa, collativa, effectiva & obfignativa solide asseritur. Quemadmodum autem nos hanc Reformatorum hypothesein de vi sacramentorum mere significativa & repræsentativa ex adductis rationibus merito improbamus; ita quoq; Pontificii Palatini eam, in Catechismo sub voce bezeugen latentem, recte rejiciunt, utpote qvi non tantum veram ac realem præsentiam substantialis C. & S. C. nobiscum defendunt, sed sacramenta etiam ideo instituta esse statuunt, ut conferant gratiam. Vid. BECANUS l. c. pag. 333. 334. Sed hi ipsi tamen Pontificii hic quoque gravissimos fovent errores, cum (1) dicunt, eucharistiam non conferre remissionem peccatorum, nec fidem confirmare, sed conferre gratiam, i. e. sanctificationem, apud CHEMNITIUM l. c. fol. 294. Vid. etiam BECANUS l. c. (2) Sacramenta conferre gratiam ex opere operato. Prodesse etiam impiis, etiamsi in iis non sit bonus motus vel fides. Vid. iterum CHEMNITIUS l. c. fol. 299. & defensor ejus CARPZOVIVS l. c.



PARS II.

Sententia Reformatorum de Missa Pontificia.

§. I.

HACTENUS REFORMATORUM sententiam de *Eucharistiæ* *sacramento* vidimus. Pergimus ad alteram quæstionis catecheticiæ partem, qua sententiam suam de PONTIFICIORUM MISSA exhibent.

§. II.

Pontificium Eucharistiæ usum Catechismus vocat MISSAM. De origine hujus vocis diversæ sunt eruditorum sententiæ. PONTIFICI olim in *Ebræa* lingua natales ejus quærebant, à מִזְבֵּחַ *altari* derivantes, ut aliquod simul fundamentum haberent erroris sui de sacrificio proprie dicto, in altari proprie dicto offerendo. Merito has adversariorum ineptias ridet APOLOGIA A. C. p. 430. utque eo magis illos ignorantia convincat, aliud nomen Hebræum affert, nempe מִצְדָּה, cujus constr. extat *Deut. XVI. 10. collationes*, seu *munera populi* significans, unde itaque eucharistiam Missæ nomen traxisse, majori veritatis specie dici possit, eo quod singuli, ad sacram synaxin convenientes, panem, vinum aliaque necessaria attulerint: quorum pars consecrata fuerit, reliquum pauperibus distributum. Ipsa tamen hujusmodi nugis, ut ait, non vult inhærere. Conf. LUTHERUS *wieder die hünimlischen Propheten* / pag. m. 50. a. CHEMNITIUS in *Exam. fol. 487.* præeuntem habens LUTHERUM, ex *Dan. XI. 38.* adfert Ebr. מִצְדָּה, unde Missa dicta sit, eò quod sit præsidium, monumentum, robur, firmamentum &

ARX

